



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lilivm Inter Spinæ**

**Sterre, Jean Chrysostome van der  
Antverpiæ, 1627**

Cap. XIII. Ad Sacristæ officium promotus contemplationi vacat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

## CAPVT XIII.

*Ad Sacrificæ officium promotus contemplationi vacat.*

Cant. 2.

*Ad Sacrificæ officium promouetur.*

MULTIS itaque Dei Electus, in officijs ad actiuam vitam pertinentibus, beneficijs subleuatus, (per hanc enim ad contemplatiuam iter est ordinatū, vt per laborem Liæ ad Rachelis ascendatur amplexus; & Sponsa se priùs denigratam esse, & filiorum Matris suæ pugnas sustinuisse, declarat, antequam in Regis cellaria duceretur) tunc demum iuuenis speciosus ad Sacrificæ officium est vocatus, in quo pleniùs & securiùs posset contemplationi vacare. Sic enim Dominus (qui omnia ordinatè disponit) electi sui vitam voluit ordinare, vt manusciret utraque pugnare: ne, sicut plerique Fratrum, in actione fieret dissolutus, & in contemplatione remissus. Multi enim videntur, qui cùm ingreduntur,

diuntur ad contemplandum , ad necessariæ actionis opera numquam volunt exire , & omnem corporalem laborem subterfugiunt obstinatè; in tantum , vt tandem in acedix corpore dilapsi , etiam in contemplationis virtute deficiant: nec ad illam reuocare scient , ad quam aliquando animus (sicut est humana infirmitas) tepefactus , per actiuæ \* exercitia reuocatur. Alij verò cùm foras , necessitate poscente , egrediuntur ad opera actionis ; ita se totos effundunt in illa , vt contemplationis præteritæ nec saltem meminerint , nec ab illa doleant se auillos , nec se ad illam cogitent reuersuros. Non sic Frater noster à Domino & Magistro optimo noscitur institutus : sed sic officium actionis exercuit , vt labores corporis alacritate spiritus temperaret , ne dissolutio sequeretur: ita ad contemplationem pertinenti inhibet officio , ne tamen ad exercitium corporale fieret tepidus aut remissus:

\*Vitæ videretur omis-  
sum.

C 5      & sic,

Iudic. 3.

& sic, exemplo Aod, athletæ fortissimi, utraque manu vtebatur pro dextera; dum utraque vita non minùs sapienter quam fortiter usus est, ut per utramque ad desiderabilis dexteræ sponsi anhelaret amplexum.

## CAPVT X III I.

*Exercitijs deuotionis admodum deditus  
longis se vigilijs ac strati duritie affigit.*

*Sanctorum  
quædam  
miranda,  
non temere  
imitanda.*

**A**NTEQVAM cetera contexam, necessarium puto, commonere lectorem, ne cuncta, quæ de Fratre nostro proponimus explicare, in consequentiam sibi trahat: magis autem sciat, quædam sic esse scripta, ut ea tantum miremur in eo qui fecit; &, qui ea per hominem facere voluit, Dominum collaudemus: quædam verò ob hoc scriptis nouerit exarata, ut ea etiam imitemur. Si enim ea, quæ super naturam sunt, Sanctorum exemplis incitati, voluerimus imitari; non ædifica-